

sensu scriptum est, I. Joan. II. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Cujus exemplum præbuit S. Cyprianus, qui cum esset maximæ auctoritatis, et omnium quasi oculi in ipsum converterentur, velut in eum, qui libris et scriptis plurimos alios fecisset ac confirmasset martyres per multos annos; consideravit demum quantum posset exitus ejus in utramque partem, quantum animi Christianis omnibus adderet, sic ingenue et constanter fidei daret testimonium; quot e contra perturbaret, si secus faceret. Interroganti itaque Galerio consuli: *Tunc es Cyprianus?* intrepide respondit: *Ego sum,* jubenti autem, ut ejurato Christo idolis incensum adoleret, adjecit: *Non facio.* Monenti denique ut magis sibi caveret, seque imminenti alias periculo eriperet, dixit: *Fac quod tibi constitutum est, in re tam justa nulla est consultatio.* Sic tortori est traditus, cui postquam numerari rogasset ab amicis viginta quinque nummos aureos, exposita cervice martyrii palmam consecutus est, et nutantes mirifice confirmavit, Pontius in vita S. Cypriani.

Item cum vides per alicujus lapsum et negationem periculum oriri, ne alii ejus exemplo pervertantur, aut in fine nutare incipiant. Teneris enim tunc velut fidus miles, aciei partem collapsam reparare, et cadente vexillifero, vexillum arripere, ne cæteri milites, animis deficient. Si enim hoc in præliis faciunt milites cur non etiam Christiani? Illustre hujus charitatis exemplum præbuit S. Nicephorus martyr, qui cum Sapricium presbyterum ob supplicii, quod jamjam imminebat, horrorem a fidei constantia deficientem videret, in lacrymas solutus, ut persisteret rogavit; quo renuente: *Ego igitur, ait, pro ipso feriar, Christianus sum:* et lubens cervicem tyranni gladio submitit, Sur. tom. I. in vita 9. febr.

III. Cum quis in ecclesiam ad fidei communionem recipitur, decet ut (præsertim si lex aut consuetudo fidelium id obtineat) publicam fidei professionem faciat: aut saltem externa conversione talem se in fidei fervore exhibeat, ut nemo de ejus vera et sincera conversione dubitare queat. Alioquin enim suspecti erunt fidelibus, quasi non ex animo vel integre conversi. Sic cum Paulus apostolus nuperrime conversus, venisset Damasco in Jerusalem, et tentasset se jungere discipulis: *Omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus;* quia nimirum sciebant eum paulo ante fuisse lupum. Idcirco Barnabas duxit eum ad apostolos, ut illis rationem conversionis suæ exponeret, Actor. IX. Prioris exemplum dedit Thomas, qui post incredulitatem, publicam edidit fidei professionem. Id ipsum in templo facere non

erubuit. Victorinus Romanus orator, doctissimus senex, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne præclari magisterii statuum in foro Romano meruerat accipere, ut scribit S. Augustinus, lib. VIII. confessionis, cap. II.

Posterioris exemplum dedit Naaman ille Syrus, qui ab Elisæo recedens et de vero Deo edoctus, terræ sanctæ massam secum abstulit, ut poneret in templo idolorum, ac super eam consistens adoraret in posterum Deum verum, quod facturum se spondit, et nunquam diis immolaturum, IV. Reg.V.

Expedi etiam et consultum est fidei professionem edere, cum mors vicina est. Nam sic imprimis robur tuæ intendes fidei, sicut de S. Blandina supra vidimus. Erit deinde hæc adstantibus optimi res odoris et exempli, maxime si adjungas indictum te velle, si quod postea minus tibi præsens forte protuleris, fidei contrarium. Sic Euty chius Constantinopolitanæ urbis episcopus, cum a S. Gregorio Magno, postea pontifice, convictus esset de vera mortuorum resurrectione, moriens in quorumcumque ad se adventantium oculis pellem manu tenebat dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus,* Joan. diac. in vita Gregorii Magni, lib. I. cap. XXX. Cardinalis etiam Bellarminus quoniam fidei celeberrimus defensor semper erat, et controversiarum scriptor moriens symbolum fidei pronuntiare voluit rogavitque socium, ut litteris testaretur, quod in catholica religione, quam scriptis semper propugnarat, decesserit; quo nimirum toti mundo palam faceret se in ea fide, quam calamo et lingua semper acerrime defenderat, usque ad extremum halitum immotum permansisse, ut est in ejus testamento.

Alterum præceptum negativum est, ut non abnegemus fidem, et hoc semper obligat: contra quod proinde gravius longe peccatur. Primo, cum fides simulatorie seu externe tantum voce vel actu abnegatur. De talibus enim dixit Dominus, Matth. X. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Hujus forte verba recordatus erat Petrus, quando post negatum Christum, egressus foras flevit amare. Et forsitan ideo foras egressus est ex atrio, quia se jam indignum aspectu et comitatu Christi judicabat. Certe olim acerrime disputatum est, essentne, qui ita negarant, ad Ecclesiæ communionem recipiendi. Et vicit quidem sententia affirmans; protulit tamen negans gravissima argumenta, quibus permoti ss. martyres maluerunt quidvis tormentorum perpeti, quam unico verbo, aut gestu fidem abnegare aut cum gentilibus communicare. Eleazarus ille nonagenarius, cum ju-

beretur ab Antiocho contra legis suæ prescriptum carnes suillas edere, mortem præelegit. Cumque aliqui propter veterem viri amicitiam vellent ei supponere carnes alias, quibus vesci ei licebat, monerentque ut simularet saltem esum suillarum, renuit dicens, non esse ætati suæ dignum fingere, ut multi adolescentes decipiantur, arbitantes ipsum transisse ad vitam alienigenarum, II. Macch. VI. Sic Barlaam martyr, qui dexteram suam (cui quasi altari thus et ignis imposita erant, ut ignis vi prunas excutiens thus in altare, quasi sacrificans mitteret) igne comburi passus est, ne excutiendo prunas et thus in aram, sacrificasse videretur, Baron. anno 304. ex S. Basil. episc. Caesar. Idem Basilius, de Gordio martyre scribit, suadentibus ei quibusdam, ut lingua tantum negaret fidem, quam corde retineret, respondisse: *Negem ego Deum meum, in cujus cultu sum educatus: nonne cælum, sol et luna lumen mihi clauderent suum? Credo profecto humum, quam pedibus tero, mihi vituram: item: Lingua, quam Christi beneficio retineo, adduci non potest, ut auctorem suum neget.* Viderint itaque qui externa conversatione cum hæreticis communicant, qui ex professo conciones hæreticorum audiunt, libros eorumdem legunt, inter illos, vel cum illis diebus jejuniorum carnes ad illorum imitationem comedunt, ab hæreticis copulari nuptias suas vel baptizari infantes curant, qui illis audientibus illorum dogmata laudant, catholicorum vero ritus et leges contemnunt, qui dominis suis fidei parum benevolis blandiendo approbant, quæ illi in fide carpunt.

Qui sic negant, audient aliquando id Domini: *Nunquam novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Quia enim in tenebris tantum Christiani sunt, non mirum si ab ipso non agnoscantur. Nimirum quia immodice res suas amant vel ventri serviunt, ideo timent dissimilitudine potentiores offendere, ne si offendant, detrimentum aliquod ab iis patiantur, gratiam eorum perdant, etc. similes Judæis illis qui Christum clam solummodo confitebantur, publice negabant, vel certe supprimebant, ne ejicerentur e synagogis, de quibus Joannes, c. XII. ait: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Sed quid de illis dicemus, qui fidem corde et ore abnegant? Theodoricus Africae rex domesticum habebat; quo familiariter utebatur, magnum fidei cultorem, qui cum regi gratificari se posse consideret, si ejusdem cum eo religionis normam acciperet, ad Arianos defecit. Quo cognito rex illum ultimo supplicio affici jussit, dicens: *Si Deo tuo fidem servare recusas, quomodo mihi, qui homo sum, eam servabis?* Theod. lib. II. collectan. Cedrenus

in Anastasio. Fugiamus igitur hunc, sequamur Thomam, etc.

CONCIO III.

INCREDELITAS S. THOMÆ QUAMOBREM IN ECCLESIA PROPONATUR.

I. Ad Dei gloriam. — II. Ad sancti commendationem. III. Ad nostram instructionem.

THEMA.

Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis. Joan. XX.

Solet Ecclesia mater nostra sanctorum solemnitates præcipuo cultu celebrare. Nam et templorum thyrsis, aulæis, imaginibus, luminibus adornat; musica instrumenta adhibet; sanctorum laudes publica concione deprædicat; et quæcumque tandem ad eorum honorem faciunt, pia ambitione promit. Et quidem jure merito. De sanctis enim scribit Ecclesiasticus, c. XXXIX. *Laudes eorum nuntiet Ecclesia.* Quid ergo est, auditores, quod eadem mater nostra in hac S. Thomæ festivitate non tam ejus laudes, quam multiplices defectus proponit filiis suis? Narrat enim singularitatem ejus et absentiam a discipulis, et narrat ejus incredulitatem de Christi resurrectione; narrat ejus pertinaciam, qua tot et tantis testibus oculatis fidem habere noluit; narrat ejus præsumptionem qua modum Deo præscribere voluit, si credere deberet: *Nisi mittam manum meam, etc.* narrat postremo ejus obstinationem et perseverantiam in malo (per octiduum videlicet, quamvis intra illud pluribus et sæpius Christus apparuerit.) Quibus accedit odiosum nomen Dydimi, quod Græcis notat non geminum tantum sed et dubium, quasi propter hanc alteram significationem appositum sit ab evangelista. Quæ hujus rei causa? Triplex potissimum, Dei gloria, sancti commendatio, nostra instructio.

I. Dei gloria, quia illustratur hinc primo, Dei potentia, qui cor discipuli prius tam obstinatum flexit. Majus enim hoc est, quam cum paralyticum erexit, aut mortuum suscitavit, quia nullam ibi resistantiam invenit, hic vero multo maximam; meritoque dicere possumus, ex lapide excitatum esse filium Abrahamæ, et ex vase contumelias honoris factum esse. Imo apostolus, ad Ephes. I. hanc Dei potentiam, quia resuscitat peccatorem ad fidem et gratiam, comparat illi potentia, qua suscitavit Christum a mortuis et evexit in cælum ad suam dexteram. Et merito, nam idem facit Deus cum justificat peccatorem. Nemo igitur diffidat, quantumvis durum cor esse sibi sen-

tiat : quia potens est Deus ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Quantumvis quis capitosus sit, potest illi Deus aliud caput imponere, dempto priore; quod inaniter ostentant præstigiatores, novit vero facere Deus. Ait enim per Ezechielem, cap. XI. *Auferam* (Septuaginta vertunt, *extraham*) *cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum*).

Secundo, Dei misericordia, qui oviculam unam perditam, et a grege aberrantem per octiduum toleravit, deinde quæsivit et reduxit tanta bonitate. Primo, ut ejus causa quinque vulnerum cicatrices retinuerit; deinde, ut ejus gratia iterum apparuerit discipulis congregatis; denique, ut se ei videndum ei palpandum offerret, sicut petierat Thomas, adeoque ejus se nutui et voluntati accommodaret. Dixerat enim Thomas : *Nisi videro et tetigero, non credam*. Ecce æger præscribit medico; et tamen Dominus ei condescendens utrumque facit, videndum se et tangendum offert. Si diceret æger medico : Nolo aliter a te curari, nisi tu ipse præpares mihi pharmaca, et descendas in domum meam manumque propria tangas plagas, tergas, purges, etc. medicus vero per omnia ei pareret, quanta hæc foret misericordia et humanitas? Vel si quis in æstuante furno sedens diceret : Nolo hinc exire, nisi manum mihi porrigat rex meus et me extrahat, rex vero istud faceret, quanta hæc clementia foret? Atqui hoc Thomæ Christus fecit, rex omnium sæculorum. Numquid non æger Thomas fuit? *Et numquid non iste torris est erutus de igne?* ait Zachar. cap. III. de igne inquam infidelitatis adeoque damnationis. Quis ergo de bonitate et misericordia Dei dubitet?

Tertio, Dei sapientia, primo, dum Christus ipsi Thomæ vulnus suum monstrat adeoque ipsum salutari erubescencia confundit et cogitur errorem suum agnoscere; quando eum solum ex omnibus compellat : *Inser tuum digitum huc, et noli esse incredulus, etc.* Quid enim hic faceret Thomas, negaret se incredulum fuisse? At hic arguitur verbis Christi, qui ut Deus adfuit loquenti. Renneret palpare? Atqui dixerat, se crediturum, si palpare posset. Captus ergo hic piscis est.

Secundo, dum Thomæ vulnera suis vulneribus curat. Supra diximus quinque fuisse Thomæ vulnera : nunc totidem vulneribus suis sanat ea Christus. Ergo Christi vulnera per ejus resurrectionem facta sunt quasi theriacæ et antidota vulnerum nostrorum; si tamen ea tangamus per fidem et penitentiam, facta sunt velut tubus perspectivus, quo intuemur et perspicimus magnitudinem peccatorum nostrorum.

II. Sancti commendatio, quia licet culpa vituperet apostolum, emendatio tamen culpæ eundem magis commendat. Lapsus est quidem Thomas, sed fortior surrexit. Ut enim cicatrices vulnerum Christo gloriam attulerunt, non ignominiam : ita vulnera Thomæ sanata potius eum commendant quam vituperant. Discissum vestimentum pulchrius apparet, si e scissuris ejus tranluceat pannus alius præstantior et alterius coloris; quod videre est in S. Thoma, nam suam incredulitatem strenue emendavit, et quodammodo triplici colore suffulsit. Primo, fide subsequente, ut testatur Dominus : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*. Vidit quidem Christum viventem; sed quod idem Christus sit Deus et mundi Dominus, quodque seipsum, ut Deus, a mortuis suscitavit, hoc non vidit, sed credidit.

Secundo, præclara fidei confessione : *Dominus meus, et Deus meus*. Hac enim voce humanam et divinam in Christo naturam manifeste confitetur, seque servum et creaturam ejus luce clarius appellat. Cujusmodi professionem ante ipsum nemo adhuc ediderat. Unde S. Bernardus, serm. II. super Missus est ait : *Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis*.

Tertio, labore pro Christo ejusque fide disseminanda susceptor siquidem remotissima orbis partes peragravit, videlicet Parthiam, Mediam, Persiam, Hyrcaniam, Bactriam, postremo ad Indos se conferens, eos in christiana religione erudit : uti in breviario, lect. IV. Item Æthiopiæ auctore Chrysostom. hom. in duodecim apost. necnon Taprobanam insulam, auctore Niceph. lib. II. histor. cap. L. Unde in primis præ cæteris apostolis maxima confecit itinera, deinde gentes omnium ferocissimas et rudissimas erudit. Quis hic explicare queat labores et sudores, pericula et persecutiones ejus? Unde possumus dicere, impletam esse in S. Thoma prophetiam Aggæi dicentis, cap. II. *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ, quia major factus est Thomas post lapsum quam fuerit ante lapsum*. *Ecce fit plerumque*, ait S. Greg. I. III. pastor. admon. XXIX. *Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia*. Narrat Palladius, in Lausiaca, c. XL. de quadam virgine lapsa, quæ penitens per triginta annos mancipavit se obsequio agrorum, mancorum ac mutilatorum, atque ita placuit Deo magis in sua penitentia, quam in sua virginitate, ut cuidam presbytero revelatum est.

Et vero si peccatum Thomæ recte ponderemus, non ad grave reperimus. Probabile enim est quod Cyrillus opinatur, lib. XII. in Joan. c. LVII. Tho-

mam fidem adhibere narrantibus noluisse, partim ex mœre, partim ex lætitia. Ex mœre, quod ipse Dominum non viderit, ideoque credere nolebat, quod alii vidissent : præ gaudio quod nuntium hoc reputaret omni majus expectatione? Quo modo alii discipuli præ gaudio non credebant esse, quem videbant, suscitatum et loqui secum audiebant, Luc. XXIV. cum ergo D. Thomas exiguum hoc delictum tam strenue resarciverit, in laudem ejus cedit ipsum ejus peccatum.

III. Nostra instructio primo, quia Thomæ dubitatio, nostræ fidei confirmatio est. Unde S. Gregor. hom. XXVI. in evang. ait : « Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides discipulorum credentium profuit : quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione posposita in fide solidatur. » Sic Gregorius.

Secundo, quia tanti viri lapsus cautiore nos esse jubet, et primo, ne a bonorum societate facile nos separemus, quod quia fecit Thomas, ideo velut columba seducta, et a grege separata pene in prædam cessit pessimo accipitri. *Væ soli*, ait Eccl. c. IV. *quia non habet sublevantem se*. Si mansisset Thomas cum suis discipulis, cito contigisset, ut videret Christum una scilicet cum illis, sed quia se subduxit, Christum tardius vidit.

Deinde, ne in rebus fidei quæramus experimenta sensuum : quia fides id est, quod non vides. Palpare et videre velle, hæreticorum est, non credentium. Denique, ne proprio judicio temere in nitamur. Sufficiat nobis credere et sentire, quod catholica sentit Ecclesia. Tot tantisque testibus fidem non habere, capitosi et insani hominis est, cujusmodi sunt hæretici, quibus nulla Scriptura, nulli patres, nulla Concilia, nulla historia, nulla miracula caput frangere possunt.

Tertio, ut sequamur penitentem, si secuti sumus errantem, quemadmodum dixit S. Ambrosius Theodosio imperatori sese excusanti, quod David quoque peccasset. Bonum illorum, qui mare æneum portabant, facies tantum prominebant, terga introrsum latebant, III. Reg. VII. quia, ut Rupertus explicat : *Non debemus aspicere, quid aliquando fuerint apostoli (vel alii sancti), sed quid per Dei gratiam effecti sint*. Non attendendus Petrus negans sed flens; non Saulus persequens, sed Paulus obsequens; non Matthæus telonarius, sed omnia relinquens; non Thomas dubitans, sed confitens.

Ergo si prius cum Thoma fuisti capitosus et incredulus, nunc esto obsequens et fidelis; si prius confiteri nolueris, confitere nunc. Si prius male egisti, nunc operibus penitentiae compensa male acta. Imprimis vero fidem firmam et devotionem sinceram exhibe, cum in sancta communionem tangis corpus Christi; dicque cum apostolo maxima humilitate, charitate, fide, reverentia : *Dominus meus, et Deus meus*.

CONCIO IV.

MOTIVA CONTRITIONIS DESUMPTA EX GRAVITATE PECCATI QUATENUS EST CONTEMPTUS DEI.

- I. Quia contemnit Deum ut summum bonum. — II. Quia contemnit ut finem ultimum. — III. Quia contemnit ut Deum verum. — IV. Quia contemnit ut legislatorem. — V. Quia contemnit ut conditorem suum. — VI. Quia contemnit ut redemptorem. — VII. Quia contemnit ut judicem. — VIII. Quia contemnit ut amicum. — IX. Quia contemnit ejusæternitatem. — X. Quia contemnit ejus unitatem. — XI. Quia contemnit ejus immensitatem. — XII. Quia contemnit ejus benignitatem. — XIII. Quia contemnit ejus clementiam. — XIV. Quia contemnit ejus sapientiam. — XV. Quia contemnit ejus potentiam. — XVI. Quia contemnit ejus bonitatem.

THEMA.

Dominus meus, et Deus meus. Joan. XX.

Consuetudo est nobis eum, qui credere aliquid pertinaciter renuit, vocare incredulum Thomam. Jam vero si nostram quilibet, manum in sinum poneret, forsitan in se quisque deprehenderet talem Thomam; si enim vere crederemus, in quolibet peccato mortali, tam graviter offendi et contemni Deum, quam revera offenditur et conitur, paucissimi, ni fallor, peccatum tale committerent. Sed quoniam hoc non creditur, inde parum curatur, num Deus offendatur. Certe S. Thomas videtur suum errorem tum demum agnovisse, quando Christi vulnera tetigit et vidit, tum enim exclamavit, magno utique doloris sensu : *Dominus meus, et Deus meus*. Accedamus igitur et nos paulo propius ad Deum, et oculis videamus, et manibus palpemus, quem tandem et quam graviter contempserimus : ut ita serio penitere et ad futura festa præparare nos valeamus.

I. Peccatum est crimen læsæ majestatis divinæ, quia lædit et contemnit Deum, ut est summum et incommutabile bonum, objectum beatitudinis, ad quod tendere debeat, quasi pro nihilo ducens bonum id admittere, ut bonum temporale consequatur; atque ita se ab eo avertit et ad

æaturam, bonum commutabile imo vilissimum, se convertit. Quotiescumque enim peccat, practicum istud iudicium in illo exercetur, licet id subinde ab eo non sentiatur. Proponitur illi ab una parte commoditas peccati, hoc est, delectatio aut utilitas aliqua modica et fluxa: ab altera parte Deus, incommutabile et infinitum bonum: ita ut in unam lancem mittatur Deus, in alteram temporale aliquod lucrum vel momentanea voluptas. Peccator ergo in medio stans, eligit potius Dei ejusque bonorum omnium jacturam, quam exigua utilitate aut voluptate carere. Annon hoc est tergum Dei vertere, eique renuntiare et creaturam ei præponere? Nemo inficiabitur turpissimum et omni sæculo inauditum errorem atque insaniam commisisse Judæos, quando optione data petierunt Barabbam homicidam dari sibi, auctorem vero vitæ perdidit. At hoc ipsum suo modo facit quilibet peccator, cum majoris æstimat sibi potius eligit modicam voluptatem, modicam pecuniam, lutum, inquam, et fæcem quam Deum: siquidem hoc relicto, ad creaturas illas accurrit. Dicit enim quodammodo verbis aut factis illud fatui avari apud Gregor. Nazianz. tract. de fortuna et prudentia: *Gutta bonæ sortis mihi potior est mentis cado*. Dum enim glebam terræ toti cælo, creaturam creatori, momentum æternitati præfert, nonne dicit: *Gutta modici lucri potior mihi est inexhausto illo honorum omnium mari?*

II. Quia contemnit illum, ut finem ultimum, ad cuius gloriam omnem suam vitam et actiones referre debeat, atque ita titulum finis ultimi Deo adimit, eumque transfert in creaturam siquidem ad illam ultimatè tendit et intendit velut ad scopum omnem suam industriam et laborem. Certum est Deum, uti est suprema causa efficiens omnium, ita etiam esse omnium finem ultimum. Unde ap. I. ait: *Ego sum alpha et omega principium et finis*. Est autem duplex finis: finis qui, seu bonum quod appetitur; et finis cui, seu persona cui, vel cuius gratia aliquid appetitur. Juxta primam acceptionem Deus est finis ultimus rationalis naturæ tantum, quatenus nimirum objectum beatitudinis illius, et de hoc, p. I. diximus. Juxta secundam est finis omnium creaturarum, quia propter ipsum et ipsius gloriam omnia creata sunt, ipsique omnia serviunt, ut dicit David. Quid agit itaque peccator? Solus ille titulum hunc et jus ad istam gloriam Deo surripit et vilissimæ creaturæ tribuit. O temerarium facinus! Quid enim dicit Deus per Isai. c. XLVIII. *Gloriam meam*, (inquit), *alteri non dabo*, q. d. non patiar eam alteri dari. Et tu hoc facere ausus es? Quid diceres de illo, qui legitimo suo regi coronam regni

detrahere et servo imponere auderet? Annon ingens foret hic contemptus et contumelia? Certe cum Deum Salomonem postquam totus perversus erat, gravissime punire decrevisset, dixit: *Disrumpens scindam regnum tuum et dabo illud servo tuo*. *Verumtamen diebus tuis non faciam propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo propter David servum meum*, III. Reg. XI. potuisset optimo jure plectere Salomonem ipsum et toto suo regno exuere: mitigavit tamen hoc supplicium Deus, et satis esse putavit, si vel partem regni filio ejus abstraheret et daret enim servo ejus. Vide nunc peccator, quid attentaris tu: Deo enim tuo gloriæ coronam de capite abstulisti, et dedisti servo ejus; dedisti auro; dedisti ventri; dedisti meretrici: hi erant fines tui, hæc tua omega, huc omnem contulisti tuam operam et studium? Huc omne impendisti servitium.

III. Quia contemnit ut Deum verum, cui soli cultum et obsequium debet juxta id Salvatoris: *Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Peccator autem relicto vero Deo, alium sibi Deum seu idolum potius constituit, cui totum se impendit. Id enim cuique Deus est, quod semper in mente habet, animoque versat, in quo totum suum cor et amorem desigit, ad quod omnia sua studia, cogitationes et actiones refert, cui curas omnes, labores vitamque ipsam immolat. Itaque idolum avari est aurum, prout etiam testatur apostolus, ad Ephes. V. gulosi venter, obscæni amasia, superbi honor: his enim isti impendunt se et omnia sua, cogitationes, colloquia, actiones, industriam, ingenium, pecunias, labores, somnum, corpus, vitamque adeo ipsam. Atqui: «Ridiculum videtur, inquit S. Hieronymus ad Rust. mon. quod aliquis judicetur idololatra, qui duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre, et ille non judicetur idololatra, qui totum servitium vitæ, quod Deo debuit offerre, offert creaturæ.» Ante hæc idola incurvat et humiliat se homo, eisque sacrificat se et sua. At vero o miser! Quid de idololatria dicit Isaias, c. II? *Repleta est terra idolis*, inquit, *opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit se homo et humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis*. Itane vero dimitti non debet hoc peccatum? Vide tu peccator, num similem idololatriam non etiam commiseris, quando pecuniam, vinum, meretricem, hominem et similia idola coluisti, et ad ea te incurvasti; cujusmodi idolis heu! repleta est terra.

IV. Quia contemnit ut legislatorem, quatenus non curat ejus leges, imo lacerat quodammodo

et violat, Deo inspectante? Hoc ipso enim, quo legem contemnit, censetur etiam contemnere legislatorem, totamque ejus auctoritatem. Unde S. Jacob, c. II. ait: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: affertque rationem: Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit ei: Non occides, etc.* q. d. omnes leges ejusdem sunt legislatoris? Unde qui unam contemnit, legislatorem contemnit, ac proinde omnes alias. Dic mihi, si imperator sub pœna mortis prohiberet furtum vel adulterium: et ego in ejus præsentia ipsoque inspectante ista peccata committerem, annon omnium iudicio censereres contemnere imperatorem ejusque auctoritatem? At qui hoc peccator Deo facit. Audi hæc de re conquerentem Deum, Jerem. II. *Confregisti jugum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam: in omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso prosternaberis meretrix: item, Ps. XI. Dixerunt (impii) linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt? Quis noster Dominus est? et Job, XI. Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pulum onagri liberum se natum putat*. At quanta obsecro est hæc iniquitas? Nonne misit Deus in mundum Filium suum factum sub lege, ad Galat. IV. et tu jugum id excuties et dices: *Non serviam*: quæ uspiam creatura, quæ non pareat Deo ad nutum? Indomito mari dixit Deus: *Usque huc venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*, Job. XXXVIII. et mare ei parret usque in hodiernum diem. Rursum ei dicit: *Ecce obmutescet, et facta est tranquillitas magna, adeoque ecce mare et venti obedierunt ei*. Tu solus non obedi? *Erubescet Sidon? ait mare*, Isa. VI. Si sapis, dic cum magno illo penitente: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*, Ps. CXVIII.

V. Quia contemnit ut conditorem suum cum omnibus beneficiis, quæ in creatione nobis contulit: non enim curat majestatem infinitam conditoris, nec quod ab illo ex nihilo ad ejus imaginem creatus, et capax divinitatis effectus, et tot bonis, tum animæ, tum corporis, cumulatus, nec quod mundus iste corporeus et omnia, quæ in eo sunt, ipsius causa ad ejus usum et obsequium sunt condita. Hæc omnia nihil curat ut animo suo obsequatur. Id quod exprobat et Moyses, Deut. XXXII. *Hæccine reddis Domino popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?* q. d. nonne consideratio tantæ benignitatis, qua te condidit et tot beneficiis affecit, a peccato revocare debuit? Ad hæc optimo patri et ad benefaciendum propensissimo affigit quodammodo manus, ne possit ei et aliis benefacere: et parum hoc arbitramur.

Quid ait Deus Malach. III. *Si affiget homo Deum?* q. d. æquumne est hoc, ut affigat, seu (ut alii legunt) affligat homo Deum? Subditque: *Quia vos configitis me, etc.* Itaque cogit quasi Deum, vim naturæ suæ inferre ad continendum gratiarum flumen, quod effundere alioquin gestit.

VI. Quia contemnit ut redemptorem cum omnibus beneficiis redemptionis, nihili faciendo quod ipse pro nobis homo factus sit, et tot tantosque labores, dolores, acerbitates, denique crucem et mortem sustinuerit, ut nos ab æterna morte liberaret et regni cælestis compotes faceret. Propter hæc omnia nihil movetur, ut aliquid suis cupiditatibus detractum velit: imo quantum est in ipso, omnia illa inefficacia reddit et irrita, juxta id Hebr. X. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur*. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem Christi pollutum dixerit, (id est nihil differentem a sanguine hircorum, etc.) in quo sanctificatus est; hoc enim eatenus facit peccator quatenus pro re nullius momenti omnia ista perdit. Et cujus gratia hos omnes labores suscepit Christus? Nonne tua. *Ipse autem vulneratus est*, inquit Isaias, cap. LIII. *propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra*. Tua, o gulose, gula Christum felle et aceto potavit: tua, o superbe, ambitio Christum inter latrones suspendit: tuus, o comptule, vestium luxus Christum spineo sermo coronavit: tua, o luxuriose, libido Christum clavis transfixit, flagellis concidit et toto corpore cruentavit: tua, o maledice, maledicta et blasphemiae, Christi faciem, in quam desiderant angeli prospicere, sputis onerarunt. Hæccine ergo omnia irrita nunc fecisti et pedibus conculcasti? Mirum ni cælum in te fulminet, aut terra tibi dehiscat. Nonne interdum soles dicere: *Ego ne canem quidem propter me occidi vellem?* At quomodo tu facis, ut propter tua peccata Christus occidatur?

VII. Quia contemnit ut judicem cum omnibus suis minis et suppliciis, quæ ipse potest irrogare: hoc ipso enim, quod nihil horum curat, vel non monetur omnium horum consideratione, ut a peccato abstineat, merito censetur hæc omnia contemnere, ut voluntati suæ satisfaciat. Quoties vidisti, o peccator, quam facile et quam miris ac multis modis torquere te possit Deus, quoties te afflixit, modo in dentibus, modo in capite, modo in aliis membris, variis doloribus? Et quam sæpe tibi minatur cruciatus longe majores nunquam finiendos: et nihilominus adhuc lusisti, et hæc omnia illusisti? Non recordaris stultum illum Nabal, cum audiit Davidem, quem graviter offe-